



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesius**

**Sammieli, 1613**

De obligat. iuramenti. c. 22.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

tendi possunt, debent enim in his quoque inueniri veritas, vnde qui iurat se facturum quod non intendit facere, peccat mortaliter, & iniustitia, & ideo qui iurat se facturum quod est mortale, peccat mortaliter, & qui quod veniale, venialiter. ac preterea utilitas, cuius tamen defectus solum inducit pec. veniale.

*De obligatione Iuramenti.*

*Cap. 21.*

**I**n his iuramentis, promissorio, comminatorio, & execratorio tanta est obligatio, vt qui licite iurauit, intentione se obligandi, teneatur sub mortali adimplere, vnde à latronibus etiam comprehensus, si non coactus, verè iurat se eis daturum centum aureos, si dimittant, tenetur iuramento, verum tamen est illum ratione coactionis posse vti aequiuocatione, atque ita sese non obligare, eadem



que est quo ad primum illud, ratio, de illo, qui à custodibus in carcere detentus, discessit iuramento redeundi, nam redire tenetur, si iuste ibi detinebatur, sunt tamen certi casus in quibus homo non tenetur seruare iuramentum, ratione materię, vt si quis iurasset se peccaturum, vel de re indifferente. Vel ratione euentus, quia nempe accessit aliquod impedimentum, vt si iurasset se die Veneris ieiunaturum, & postea agrotasset. vel ire Lauretum, & postea id non posset sine graui suo incommodo temporali. Aut mutatione status, vt cum dominus iurauit se castigaturum seruum, qui postea corrigi est paratus. Vel si id quod iurauit est impeditiuũ maioris boni, vel ratione modi iurandi, vt si quis honoris causa iuravit se non ingressurum primum, vel si is cui iuramentum factum est, illud relaxet, vel denique ali-



quid eueniat propter quod sit melius non adimplere iuramentum quam illud adimplere.

*De Iuramenti dispensatione.*

Cap. 23.

**S**uperiorū est in eo quod superiores sunt, iuramenta dispensare, vnde pater dispensat iuramenta filiorum, maritus vxoris, Abbas Monachorum, Episcopus & Papa respectu cleri & rerum Ecclesiasticarum, vt si quis iurasset se daturum alteri beneficium, Papa potest in omnibus iuramentis quæ non sunt contra tertii alicuius utilitatem dispensare ex causa, quamuis possit etiam in illis, in pœnâ, vel quando fuerunt ex metu extorta. Episcopus in illis tantū, in quibus si essent vota posset dispensare in voto, & ideo nō potest relaxare iuramentum Religio-